

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.  
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.  
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.  
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

**Crantz, Heinrich Johann Nepomuk**

**[Wien], 1765**

Animalium Exhalationes.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10178**

& pessime pro paralyseos specifico electricitatem venditari contendit: dum ipsa & febriam, & convulsiones, & plethoram inducit, sanguinemque ad caput cogit, & casu paralyfim facit, & auget *de Apoplexia.*

Revera audax, & anceps remedium est electrica commotio. Subitas huius martyres aves NOLLETTUS, IALABERTUS, & alii plurimi recensent; nec hodie mortalium ullus ignorat hac etiam homines occidi; Sic prostratus Cl. dum viveret Professor DOPPELMAIER, & inter media experimenta expirat sæviori fulmine tactus Cl. Petropolitanus Academicus RICHMANNUS.

Nec simplex electricitatis vis semper tuta est, in virgine menstrua suppressit, ex ulcere venereo effluxum cohibuit, dum simul ulcus inflammaret LOUIS, & ægrum hic Viennæ occidit. Nuper an inoculatio per DEUM liceret quæsitum est, & de electricitate nihil quæritur.

---

## ANIMALIUM. EXHALATIONES.

Effocta, & præ languore interitura corpora, animali exhalatione refici iam antiquitati notum fuisse, DAVIDIS que exemplo confirmatum, & hodie familiare esse, vide *Illustr. L. B. van SWIETEN Comment.* Nec tamen aut his, aut aliis evidentioribus exemplis, iuvenilis vigoris bona, in senis corpus attracta accubitu, ita deduci, ut iam hoc elanguidum sensim depereat, probatum, quanquam & id plurimis pronunciatum sit. Nam etsi id ipsum verum, ægritudines contagio-  
sas

fas esse posse, & accumbenti corpori communicari: ita ex impuro lecti focio multos tabidos factos olim sanissimos probe meminit *Cl. HUXHAM de constitut. Aeris & morbis Epidemicis*; ita de canum in podagra usu plurimus *BORELLUS*, factum alii confirmant, & ultimo de cane podagræ magnete, *obs. dedit in Acad. N. C. Vol. VI. van WOENSEL*; hæc tamen id non satis demonstrant.

Sed quid est in perspirabili reficientis? etsi sua cuique animali atmosphæra est, a propria individuorum fabrica dependens, est tamen omni subtilissimum odoratum principium ab eadem; docet inquirendis aliis, animalium sagacitas; hoc suscipi, susceptum refocillare exhaustum posse, maxime si e iuvenili vegeto corpore emanet tanta copia, ut calculo docuit *SANCTORIUS*, haud mirum. *AUGUSTI Cæsaris* suaveolens corporis atmosphæra, ni adulatoribus scripta, insolita: sed etiam sudorem axillæ sinistræ tempore æstivo moschum redoluisse, alias hoc odore liberum, *PRAECEPTOR* meminit.

---

## T E R R A E E X H A L A T I O N E S.

**N**ec solum animalia, aut vegetabilia perspirant exhalantque, sed & fossilia id ipsum faciunt, suntque, ut in prioribus, aut salubria, aut insalubria horum effluvia; de salubribus non dicam, de insalubribus venenatis *Tom. III.*

Et imprimis habet aliquid fragrantis terrei, patens ex humo aratro versa sulcus, habet ipsa, post messem in  
cam.